



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Heremi Dei Parae Matris Monasterii In Helvetia Ordinis S. Benedicti

Hartmann, Christoph

Friburgi Brisgouiae, 1612

Rvdolfvs II. Ex Comitibvs Lvpodvni Stvolingae Lantgraviis Abbas Heremi
Dvodecimvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38545



RVDOLFVS II. EX
COMITIBVS LVPODVNI
STVOLINGÆ LANTGRAVIIS
ABBAS HEREMI DVO-
DEGIMVS.

RVODOLFI electionem asperrimè tulit Rudolfus, comes Raperfuillensis, quasi, nisi se præfente, & adprobante, prætentu aduocationis, legitima ea esse non posset. Itaque armatâ manu monasterium inuasit, RVDOLFVM, & qui cum eo faciebant, expulit, alios fœdis vulneribus ab templi adytis, & altaribus raptos sæuiter mulctauit, sanctissimum DEIPARÆ facellum, & aram, vestesque sacras cæde, & sanguine profanauit, nihil pensi, aut sancti habuit, irâ, odio, vecordiâ tur-

piter graf-

piter grassatus est. Rudolfus abbas cum paucis, qui Comitibus manus euaserant, Constantiam ad Cunradum Cæsarem fortè illic comitia celebrantem adiit, vim, & tyrannidem Raperfvillensis ostendit, suam contra electionem, suam innocentiam. Cunradus non electionem solum adprobavit, sed Theodeuino Cardinali auctor fuit, accedente Hermanni Constantiæ episcopi petitione, vt initiaret. Itaque ad Augiam Maiorem profectus Theodeuinus in præsentia episcopi pridie idus Aprilis, sacrarum palmarum die solenni, Rudolfum abbatem inunxit, & consecrauit. Cæsar verò de Comite, & eius factione supplicium extremum sumisset, nisi nonnullorum Principum, & ante omnes ipsiusmet Rudolphi calida, & constans intercessisset supplicatio. Grauitertamen increpitum, aduocatum eum, & defenforem; non Dominum, aut inuasorem Heremi additum, iura eorum, & priuilegia tueri, & conseruare; non infringere, aut supra esse debere, ingenti pecuniâ multauit. Anno millesimo, centesimo, quadragesimo tertio, Innocentius pontifex populum Rom. rebellem, & antiquam, vanamque libertatem sapius tentatam, reuocare per turbas molientem, à sacris remouit, ipsumque pontificiorum comitiorum iure, quorum à primis temporibus ad eam vsque diem particeps fuerat, in perpetuum spoliauit, id solis Cardinalibus adsignauit, nec multò post languore ex curis contracto esse desijt. Creatus primus post eum ab solis Cardinalibus, Populo, & Clero excluso, Cælestinus II. Redditum tandè, eodem tempore, monasterio nostro totiens quæsitum, totiens repetitum, iussu maximè Cardinalis Theodeuini, & Hermanni episcopi, aliorumq; antistitum D. Iusti nouennis pueri martyris sacrum caput, quod Albersbachenses monachi apud nostros per disciplinarum, & religionis speciem diu versati, clam, & per dolum ante annos triginta auerterant. Neque dum contentionis de limitibus inter nostros, & Suiuos, & horum defensores Lentzburgenses Comites modus, aut finis erat. Itaque iam & hæctenus non verbis, sed verberibus, & vulneribus terminos propugnant, finesque rexerant; Suiuijs

A. D. N.

CIO.
C. XLIII.

Heinici

Heinrici IV. Imperatoris sententiam nullâ ratione recipientibus, tamquam, vt illis videbatur, grauem nimium, & ignominiosam, finesque suos plus æquo stringentem, & eo ipso, quod vltra processerant, coarguentem. Quamobrem Cunradus iustitiæ, & pacis obseruantissimus princeps, nequid vltra querimoniarum, aut discordiæ superesset, in integrum eos restituit, Anno millesimo, centesimo quarto & quadragesimo, agendique potestatem cum Argentinam diuertisset, fecit. Adfuerunt pars vtraque, & Abbati Rudolfus Comes Rapersuillensis aduocatus: Suij Vldaricus Comes Lentzburgenfis, suo, & fratrum nomine, sese addiderant. Suij eadem quæ superioribus temporibus adferebant, neque alia quæ allegarent suppuebant. Rudolfus abbas præter antiqua, & prius etiam repetita, nouo quoque jam etiam Heinrici Imper. & principum regni iudicio, & decreto nitetur. Cunradus postremò causâ satis, superque discussâ, & agitâ, Heinrici auunculi Imper. sententiam, suo quoque decreto confirmauit, & id in hunc modum eleganti, & æquâ ratione promulgauit.

A. D. X.

CIC.

C. XLIV.

*I*N nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Cunradus, diuinâ fauente clementiâ, Romanorum Rex secundus. Iustitia definitio est constantem, & perpetuam habere voluntatem tribuendi unicuique quod sibi iure competit. Quam cum omne humanum genus colere, & exercere semper debeat, præcipue tamen regie dignitati congruit talem animi habitum immutabiliter induere. Quocirca omnium fidelium nostrorum, tam futurorum, quam presentium nouerit industria, Quod vir venerabilis Rudolfus abbas monasterij MEGINRADES Cella dicti, quod consecratum est in honore sanctæ DEIGENITRICIS MARIE, sanctique Mauritij martyris, nostram Celsitudinem adiit suisq; desideriis interuentum, ac preces dilectæ coniugis nostræ, & regni consortis Gertrudis adhibens, petijt, Quatenus litem quæ inter ipsum, & Vldericum de Lenzenburg, ac cohæredes eius, seu etiam inter ipsum, & ciues de Suiites iam longo tempore agitabatur finali iudicio

Curia no-

Curia nostra decideremus. Cuius preces ratione suffult ac clementer admittentes, Privilegia, quae progenitores nostri Reges, vel Imperatores praefato Monasterio ad perpetuam libertatem obtinendam, siue ad certos possessionum suarum limites determinandos concesserant, in communi generalis Curia nostra audientia recitari iussimus. Astantes itaque pro iure supra nominati Monasterij Rudolfo de Raprechtesvulre eiusdem loci Aduocato, relectum est praecipuum diuinae recordationis Henrici huius nominis v. Regis, sed v. Imperatoris auunculi nostri, in quo continebatur eandem controuersiam diu fuisse ventilatam inter Abbatem iam saepe dicti Monasterij de MEGINRADES Cellam Geromine, & aduocatum ipsum Vthelricum, atque inter Rudolfum, & Arnolfum Comites, & item habitatores villa Suites. Sed Allemannorum (quibus eadem terra iurisdictio pertinet) iudicio, & eiusdem Privilegij auctoritate terminaliter definitam, & à praedictis petitoribus multam Regia institutionis violatoribus impositam fisco Regio fuisse illatam. Quae ratio tam fortibus subnixam firmitatis Comitem Vthelricum de Lenzeburch, & competitors absterere non potuit, quin eisdem diffinitionibus prouiribus contra iret, donec Sueuorum, qui & Allemanni dicuntur, lege, ac iudicio, ius allegationibus destitutis, a causa penitus caderet, & cum debita legum censura tam nobis, quam Abbati, & Aduocato ablata restituendo satisfaceret. Causa uero totius origo haec erat. Fundum in quo Monasterium aedificatum est, & totam circumpositam siluam, siue eam Forestam, seu Heremum, vel Vastam solitudinem appellari placeat, cum omnibus appendiciis, utilitate, & fructu Abbatibus iam saepe dicti Monasterii, & monachorum DEO ibidem seruientium vsibus Imperatores Otto primus, & secundus: sed & duo aequiuoci Imperatores proauus uidelicet noster atque auus Henricus authenticis praecipuorum suorum paginis tradiderant, tamquam possessionem, quae omnium iudicio ad Regni proprietatem pertinere comprobatur. Verum quoniam eorum qui in villa Suites habitant culta, & agri praescripta siluae fines attingunt, semper eiusdem villa possessores in

adiacenti

adiacenti silua portionem non modicam violenter arripuerunt. Nos vero, sicut in antiquis priuilegiis scriptum est, & in nostrâ præsentia totius Curia assensu recognitum, certos fines, seu limites inter utrasque possessiones subnotari iussimus. Sunt autem hi termini, Ab Occidua quidem parte incipientes à fluuiolo Biberâ, ab ipsiusque fonte in Austrum per diuexa montium proximorum latera quidquid ad præfatum locum inclinia tendit usque ad proximam alpem dictâ Sylâ: inde ad rupem Stageluuant, & ab inde ad montem Sonnenberg vocatum: Postremo ad rupiculam Rotenschuch nominatam, Quidquid his interiacet, & clauditur limitibus, id est, ob adiacentium montanorum cacuminibus ad iam sæpe fatum locum incliuibus scilicet, ut lapsus liquentium nivium, & cursus amnium, impetusque torrentium præcipitantur in ima conuallium omnino totum ad supra dictum pertinere constat Monasterium, hoc est, fundus ipsius loci, qui MEGINRADES Cella dicitur, cum præscriptis alpiibus, ac montanis, siluis, paludibus, vallibus, planiciebus, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, piscationibus, venationibus, viis, & inuis, cultis, & incultis, exitibus, & reditibus, quaesitis, & adquirendis, & cum omni dominio, & cunctis utilitatibus, qua vel dici, vel inveniri villo modo possunt. Et, ut hac omnia omni tempore ab omnium hominum infestatione, rata, & inconuulsa permaneant, decursarum ad nos rerum seriem, & iudicia super hiis promulgata banni nostri interpositione firmavimus, præsentemque paginam propria subscriptione manus roboratam sigilli nostri impressione insigniri iussimus. Testes vero qui adfuerunt subternotati sunt, Embricho Uviri Zeburgensis episcopus, Burckardus Argentinensis episcopus, Ortliebus Basiliensis episcopus, Berchtoldus Murbacensis Abbas, Vivaldus Stabulensis Abbas, Fridelo Augensis Abbas, Vualtherus Selsensis abbas, Fridericus Dux Sueuorum, Cunradus Dux, Hermannus Marchio, Rudolfus de Honberg, Volmarus de Froburg, Vthelricus Comes de Gamertingen, Euerhardus Comes de Kirchberg, Berchtoldus de Callendin, Lu-

doovicus de Oetingen, Theodoricus Comes de Mombili-
gart. Othelricus Comes de Egensheim, Sifridus Comes de
Bonnenburg in Saxonia, Adolfus Comes de Montibus in
Uwestfalia, Simon Comes de Saraburga, Sigelbertus Comes,
Heinricus de Rinouua, Marquardus de Gruenbach, Con-
radus de SuuartZemberg, Bertolfus Comes de Nuemburch,
Sigebedo de Houuevilre, Marquardus de Rodenburch,
Berchtoldus de Tannecka, Heinricus de Rhinfelden, Con-
radus de Krenchingen, Heinricus de Cussenberg, Burkardus
de Hercina, Hugo de Tuffen, & ceteri quam plures.

*Signum Domini Cunradi Romanorum
secundi regis invictissimi.*

*Ego Arnoldus Cancellarius, vice Heinrici Mogun-
tini archiepiscopi & archicancellarij recognoui.*

*Anno Dominica Incarnationis M. C. XLIIII. Indi-
ctione V. VIII. Idus Iulij, Regnante Cunrado Romano-
rum rege secundo. Anno verò regni eius VI. Data Argen-
tina. In Christo feliciter. Amen.*

At ista enim longè Suitij ægerime tulerunt. Nam
ijs non ipsi modo, sed etiam maiores eorū injuriarum, & vio-
lentiæ, & repetundarum arcessabantur. Neq; enim causam
videre volebant, quare antiquis, quos ferebant, finibus di-
scedere deberent, quos tanto tempore bonâ, uti credebant, fi-
de possedissent. Igitur posthabitis regū, & Imperatorum edi-
ctis, conuentum inter se, mox cum suis confederatis, vici-
nis communitatibus fecerunt, consensuque veteres reti-
nere fines constituerunt, eisdemque vi, & armis contra at-
tentantes tueri; Imperatorum, & Regum porrò potestatem,
& mandata, eadem libertate contemnere, & aspernari, quâ,
cum nullius ipsi dominio subiecti essent, (sic namq; de se ja-
ctabant) antea, & sponte eadem recepissent. Eodem anno
Cælestino II. pontificatus mense sexto desiderato, successit
Lucius II. Quo etiam, anno sequenti, pontificatus mense vn-
decimo, extincto, summâ in terris dignitatē inijt Eugenius III.

A. D. N.

C. L. V.
C. XLV.

D. Ber-

D. Bernardi discipulus, & quasi filius, vt ex libris Considerationum, quas ad eum scripsit liquet, dignis profectò qui non solum assidue à Pontificibus, sed etiam ab episcopis, & omnib⁹ Ecclesiæ antistitibus cõsiderentur. At ipse Eugenius eumdẽ D. Bernardum subito in Germaniam, & Galliam misit, ibi pro terræ sanctæ, & Christianorũ liberatione cõciones frequentes, & feruẽtes habuit, multos principum, & regum in sententiam perpulit, miraculis scilicet institutum eius, & vitæ integritatem egregiè adprobantibus. Basileæ enim mutæ feminæ loqui, cæcoquẽ videre dedit, membris capto eorundem vsũ restituit. Cæcum pariter Constantiæ, Augensis abbatis intercessu, luce clarâ impertiuit, alia multa signa, alijs locis ad stuporẽ perpetravit. Igitur anno millesimo, centesimo, quadragesimo sexto primus Germaniæ regum Cunradus, comitijs Spirensibus, sacræ militiæ nomen dedit, crucisque salutiferum signum humero recepit. Eum pleriq; primores imitati, eo auidius, quia superiorum expeditionum laude caruerant. Rudolfus abbas hoc quoq; anno Suitios, vti regio edicto parerent, satisfacerentq; sæpe frustra admonuit. Vnde eius commotus querellis Cæsar ad eos seuerissimè scripsit, ad asperiora venturum minatus, nisi decreto suo, & principum acquiescent. Illi in eadem sententia permansere. Hinc amicos contra, & fœderatos accire, & comparare abbas cæpit, vi vt aliquando obtineret, quod iure nequibat. Suitij, hoc quoq; intellecto, Vranios, & Siluanios rogauerunt, ne decessent, si bellum exoriretur, qui pro tuendis finibus omnia promiserunt. Sed Rudolfus ad reditum vsq; regis belli consilia deposuit. Is pridie nonas Februarij anni millesimi, centesimi, quadragesimi septimi, cum vtrumq; res Imperij disposuisset, itineri se, & expeditioni tradidit cum Friderico nepote Allemanniæ duce, Guelfone Bauariæ, alijsque principibus. Eum III. Kalend. Iunias secutus Ludouicus rex Galliæ. Sunt qui in Cæsaris exercitu fuisse tradiderunt equitum septuaginta millia, supra peditatum. Gallo, credo, haut pauciores copiæ. Egregio paratu, si cetera perinde successissent. Cunradus enim, proditione Emmanuelis

A. D. N.

CIC. C.

XLVI.

A. D. N.

CIC.

XLVII.

A. D. N.
C I D.
C. XLVII.

Const. Imper. magnam cladem accepit mense Nouembri. Neq; meliorem Ludouicus fortunam expertus est. Sequenti anno, coniunctis viribus, adscito etiam Balduino Hierosolimorum rege, Damascum obsederunt, sed per dissensionem, & fraudem obsidionem mox reliquerunt. Cunradus, desperatis rebus, in Germaniam redijt, Augustamque peruenit, incipiente Decembri. Vbi primum redijisse cognouit abbas

A. D. X.
C I D. C.
C. XLIX.

Rudolfus ad eum se continuo contulit, cum nouis querellis, iam quoq; Suitensibus Vranios, & Siluanios accessisse; eius maiestatis mandata cōtemni; imperium, & principes pro nihilo fieri; sibi vires non esse tantas, vt iudicatum armis obtinere possit. Orare suas opes coniungeret, nec in despectu se, & Imperium esse sineret. Cunradus his, alijsque valde incensus, Vranios, Siluaniosque asperrimè increpuit, quod Suitensium causæ contra mandatum se miscuissent. Cæpto desisterent, si suam & Imperij gratiam vellent, opesq; dissiociarent. Scripsit hinc Tigurinjs, & Lucernensibus, alijsque vicinis, vt contra Suitenses abbas causam, & defensionem suscipiant, suo, & Imperij nomine. Nihilominus ad easdem vrbes legatos misere Svitij, qui ea, quæ acciderant, demonstrarent, simul Heinrici, & Cunradi decreta eleuarent, tãquam ab malevolentibus extorta, quibus antiquis finibus magnâ suâ, & posterorum ignaviâ pelluntur. Acta hæc anno millesimo, centesimo, nono & quadragesimo.

A. D. N.
C I D.
C. L.

Anno millesimo, centesimo, quinquagesimo, rursus quas contra se opes, & partes sollicitarent Svitij, Rudolfus Cæsari significauit. Qui iam animosior, non solum relationem suscepit, sed Suitenses, & socios eorum, regiâ auctoritate proscripsit, & comitatum ne copiâ facerent propinquis mandauit, haut magno tamen Suitensium momēto, aut impedimento, quando Tigurinorum, quia recipiendi proscriptos priuilegium habere dicebantur, commercijs utebantur, præter Lentzburgensium opes, & subsidium, qui in eadem causâ, & decreto errant. Vnde cum nihil se quoq; æqui hac ratione obtinere videret Rudolfus, anno sequenti, ab Hermâno Const. episcopo impetrauit, vt Suitios, & quidquid contra se fœderis esset,

A. D. N.
C I D.
C. LI.

commu-

communione piorum excluderet. Quod, vt cetera omnia, in vanum quoq; recidit, quatinus non defuerunt qui auaritiã, & malitiã, aut etiam impulsu, coactique sacra administrarunt, & Suij Cunrado Cæs. deniq; , ob perpetuũ aduersus nostros fauorem, & tuitionem infensi, & irati, eius se, & Imperij obedientiã penitus subtraxerunt. Sed Cunradus cum coronã accipiendã, tum vt Apuliam, compositis Longobardicis rebus, subiugaret, in Italiam se transiturum promississet, multã veneni suspitione, derepente extinctus est, xv. kal. Martij anno millesimo, cētesimo, secundo & quinquagesimo, cum prius Imperialia insignia Friderico nepoti Allemanniã duci eã conditione, tradidisset, vt Friderico filio, quem puerum relinquebat, vbi adoleuisset ducatum Allemanniã donaret. Principes regni, cōuentu Francofurti factõ, Cunradi consiliũ, & electionem probauere, Fridericumque, cui cognomen Itali Ahenobarbi fecerunt, regnare iusserũt, pridie idus Mal. Fridericus Francofurto Maguntiacum, & inde Basileam venit. Eo ad illum accessit Vlicus Comes Lentzburgeris, quo, priuatis adhuc rebus, familiariter vsus fuerat, & in primis dilexerat. Is ea quã inter Heremitas, & Suios, seque intercedebant cum pluribus memorasset, tantum apud ipsum gratiã eualuit, vt proscriptione quidem Suios, & eorum socios non modò liberarit: Sed Rudolfo quoque abbatu ne vltra, nisi rursus cognitã causã, aut se conscio, procederet, præcepit. Neque deinceps eius Imperio, & filij Heinrici, quidquam præterea, limitari hac de contentione, reperio agitatũ. Superiora Rheni cùm Fridericus peruidisset, composuissetque, rectã secundo rursus Rheno, mox per Arduennam siluam Aquisgranum discessit, vbi ab Arnolde Coloniensi archiepiscopo rex Romanorum coronatus est. Ibidem Allemanniã ducatum Friderico iij. patrueli concessit, qui rexit annos quindecim. Anno millesimo, centesimo tertio & quinquagesimo, circiter idus Martij, celebrauit Fridericus Constantiã frequentissimũ episcoporum, & principum conuentum, pacem cum omnibus regni primoribus comparauit. Querellas Laudensium aduersus

A. D. N.

.CII.

C. LII.

A. D. N.

.CII.

C. LIII.

A. D. N.
CIX. C.
LIV.

A. D. N.
CIX.
C. LV.

A. D. N.
CIX. C.
LVI.

A. D. N.
CIX.
C. LVII.

A. D. N.
CIX.
C. LVIII.

Mediolanenses primo audiuit. Mense sequenti Julio, defuncto Eugenio, substitutus Anastasius IV. nostri ordinis, amator, & nutricius pauperum vulgo cognominatus. Annum vero sequentem etiam Fridericus ferme per Comitatus diversis locis, ut Mersburgi Saxonie, Ratisbonae, Herbipoli, Vormatiae, Spirae, Goslariae absque sit, donec, autumno iam adulto, cum exercitu in Italiam transijt, Veronam primo, post Roncalias pridie Kal. Septembres peruenit. Eodem anno, Anastasio IV. successit Adrianus IV. & ipse quoque S. P. N. Benedicti ordinis. Ceterum Fridericus subiugandae Italiae attentus, anno eius seculi quinto & quinquagesimo, Tortonam XII. Kal. Martij obsedit, & pridie Nonas Aprilis deditam diripuit, & incendit. Inde per Flaminiam, & Tusciam Romam tetendit, ubi illi Adrianus Imperialia contulit, XIV. Kal. Julij. Constitutis hinc utcumque rebus Italiae, Septembri exeunte, in Germaniam redijt, & Ratisbonae conuentum frequentissimum agitauit. Sequenti post anno Beatricem Reginaldi Burgundiae Comitis filiam duxit uxorem. Nuptias Herbipoli celebrauit. Norinbergae aliquandiu haesit post: iterum Ratisbonae. Illic conuentu principum ex Marchia Austriae, Ducatum fecit, Henricum ex Marchione primum ducem creauit. Anno millesimo, centesimo, septimo & quinquagesimo cum Vesontione versaretur constitutendae Burgundiae, cum duobus, qui in comitatu aderant, Cardinalibus nata controuersia esset, & de ea Imperator ad Adrianum scribens literis suum Pontificis nomini ante posuisset, siue id incogitantia, an superbia fuit, & contemptus, multorum, quae secuta sunt, malorum materiam suppeditauit. Literarum utrimque & pontificis, & Caesaris alij exempla retulerunt, quae hic inferere nihil est pretij. Sequenti anno, Mediolanenses, insito aduersus Laudenses odio, Laudem postremo captam funditus euerterunt, turres, & moenia subruerunt. Ea clades Friderici iter rursus in Italiam accelerauit. Magnis igitur, Germaniam totam, factis copijs, continuo alpes trajecit. Trezae castellum primo expugnauit, mox Laudem Pompeiam reaedificare coepit. Denique VII. Idus Augusti

Mediola-

Mediolanum obsidione cinxit, suburbana vastavit, summisque opibus quassatam, & ad extrema redactam, deditione in suum dominium redegit, v. i. Idus Septembris. Captis obsidibus nobilissimis ciuitatis, Roncalias ad jus dicendum Italicis inde se transtulit, feuda restituit, leges dedit, & ne ciuitas ciuitatem, priuatus priuatum iniussu regis oppugnet, aliaque, summâ æquitate, constituit. Anno nono, & quinquagesimo, post millesimum & centesimum repetitum Mediolanense bellum, quia Cæsaris legatos in suam urbem ad novos creandos Magistratus Mediolanenses, orto tumultu, iniurijs adfecerant, & pene incautos oppresserant. Adsciti omnes ex Germania, & Italia ad vrbis miseræ excidium extremum Principes, & militiæ duces. Adriano eodem tempore successit Alexander III. doctissimus, & fortissimus. Contra eum quatuor ordine creati ab Imperatore pontifices, schismate in annum vicesimum producto. Primus Victor fuit eius nominis V. Cardinalis tit. S. Clementis. Anno sexagesimo eius seculi, cum tota bellis Insubria arderet, Fridericus post longam, & acerbam obsidionem Cremam opidum potitus funditus euertit: Mediolanensium suburbia vastavit. Laudem hinc in hiberna cum Beatrice, quæ paullo antè cum valido è Germania exercitu, & multis principibus aduenerat, concessit. Alexander interim Anagninæ Victorem, & qui eum opibus sustentabat, Fridericum, cum omnibus fautoribus, sacris priuauit, & excommunicatos declarauit, literasq; ad reges, & Principes, & ciuitates dedit, & quibus id rationibus fecisset exposuit. Anno vero sexagesimo primo, Fridericus omnibus copijs admotis, Mediolanenses IV. kal. Iunij obsidere curâ vehementiore cepit. Illi, eruptione factâ, exercitum in fugam expulerunt. Sed mox acrius urbem circumdedit, & oppugnauit, fameq; & pertentiâ obsessorum domitam, & euictam Kalend. Martij anni sequentis, euertit, & sale in perpetuam sterilitatem conspersit, incolas in vicina opida distribuit, & ne Mediolanum repararent, iniussu suo, capitali poenâ sanxit. Inde Papiam discessit, vbi Genuenses per Legatos deditionem suæ ciuitatis fece-

A. D. N.

CIC.
C. LIX.

A. D. N.

CIC. C.
LX.

A. D. N.

CIC. C.
LXI.

A. D. N.

CIC.
LXII.

tis fecerunt. Præsentes erant Reinoldus archiepiscopus Co-
 loniensis, Henricus Leodicensis, Ortliebo Basiliensis, Her-
 mannus Constantiensis, alijque plures episcopi. Principes
 vero Cunradus palatinus Rheni, Henricus dux Austriae, Gu-
 helmus marchio Montisferrati, Theodoricus marchio Sa-
 xoniae, Otho palatinus à Vietelspach, Albertus Comes
 ab Anhalt, Henricus comes Pfortzheimi, Rudolfus co-
 mes Pfullendorffensis, Vlricus comes Lentzburgenfis, alij.
 Subactâ penitus Insubriâ, & compositis Italiae vtcumque re-
 bus, in Germaniam exeunte Octobri redijt. Constantiâ ali-
 quamdiu substitit. Ibidem Hermanni episcopi priuilegium
 pro Creutzlingæ monasterio confirmauit viii. kal. Decem-
 bris. Testes fuerunt Cunradus Vormatiensis episcopus, Vido
 Hypoliensis episcopus, Vernerus abbas S. Galli, Velfo dux
 Spoleti, Fridericus comes palatinus de Tubinge, Hugo co-
 mes frater eius, alij plures comites. Eodem anno Alexander
 pontifex apud Clarum montem Auerniâ, & mox sequenti,
 Turoni concilium Galliae omnium pene episcoporum cele-
 brauit, in vtroque Fridericum, & Victorem excommunica-
 uit. Fridericus cum valido exercitu in Italiam redijt, v. Kal.
 Nouembres. Papiâ hiberna collocauit. Ab eo Cunradus
 archiepiscopus Maguntinus ad Alexandri pontificis partes
 transijt, qui ab eo in Cardinalium numerum allectus est.
 Anno sexagesimo quarto, Victore Lucae mortuo, Casariani
 Guidonem Cremensem episcopum Pontificem, Pascales
 nominedato, elegerunt. Imperator, intellecto inter Velfo-
 nem Bauariae ducem, & Hugonem Tubingæ palatinum bel-
 lo, cui multi sese episcopi, & principes, & comites miscue-
 rant, diuisis per partes studijs, in Germaniam redijt, & Vi-
 mæ Comiticia celebrauit. Sequenti, Virceburgi, vbi ex epi-
 scoporum, & antistitum, principumque, qui aderant, sen-
 tentiâ Pascalem legitimum pontificem declarauit, statuitque
 vt, eo mortuo, nemo, nisi ex eius parte, sublegeretur, &
 si ipsum contingeret prius vitâ egredi, nullus quoque in re-
 gno succederet, nisi se eam partem defensurum iurasset. At
 contra Ioannes Cardinalis, quem Romæ legatum Alexan-

der con-

A. D. X.

C. IX.
C. LXIII.

A. D. N.

C. IX.
C. LXIV.

A. D. X.

C. IX. C.
L. XV.

der constituerat, mirâ ingenij dexteritate, & amœnitate morum, Populum Romanum ad partes Alexandri traduxit, pontificiam ditionem pleramque recepit, vtque ex Gallia in Urbem Pontifex reuocaretur impetrauit. Lætissimis animis exceptus est ab vniuersis Alexander. Is eodem pene tempore Bernardum primum Claræ vallis abbatem in Sanctorum numerum retulit. Postquam Fridericus Alexandri successus accepit, metu amittendæ totius Italiæ, archiepiscopum Coloniensem, Anno sexagesimo sexto, in Italiam cum ingentibus copijs maturare iussit; quem mense Nouembri secutus apud Laudem Pompeiam conuentum habuit, querellas ibidem præfectorum suorum, quos in Insubriâ reliquerat, audiuit, quas cum haut tanti fecisset, quantû iniuriæ acceptæ postulare videbantur, anno sequenti, ingens orta conjuratio, & foedus omnium pene Insubriæ, Aemiliæ, Taruisij aliarumque Italiæ regionum, & ciuitatum, maxime verò Venetorum. Imperator, decreto in Alexandrum bello, versus urbem exercitum duxit, Anconam resistere ausam obsidione cinxit, & valide oppugnauit. Postea, auditâ suorum de Romanis ad montem Porcum clarâ victoriâ, obsidione missâ, ad mœnia accelerauit, & in pratis Neronianis, incunte Augusto, confedit, Vaticanumque perumpere frustra primo conatus, injectis dein ignibus, cum basilica D. Petri jam in periculo esset, qui eam tenebant territi ditionem fecerunt. Alexander Gulielmi Siciliæ regis opibus, qui, auditio eius periculo, pecuniam, & triremes submiserat, Circeios, deinde Tarracinam, mox Cajetam, postremo Beneuentum euasit. Fridericus ab Pascali cum Beatrice coniuge iterum coronam accepit. Iisdem diebus, repente, veluti in Alexandri optimi pontificis vindictam, nata pestilentia exercitum fæde, & atrociter peruasit, quæ non gregarios modo, & vulgus militum, sed ex ipsa nobilitate præstantissimum quemque corripuit, & interfecit. Tales fuere archiepiscopus Colonienfis schismatis, & omnium malorum sator, & defensor, episcopi Spirensis, Ratisbonensis, Pragensis, Verodunensis, Leodicensis, Basilienfis, alij. Principes, &

Comites

A. D. N.

CIC. C.
LXVI.

A. D. N.

CIC.
C. LXVII.

Comites, Fridericus Sueviæ Imperatoris patruelis, Velfo junior dux Bauariæ, & Spoleti, Henricus comes Veringæ, Berchtoldus Comes Pfullendorffi, filius vnicus Rudolphi, plurimi præterea. Sueviæ ducatum commisit Imperator Friderico V.F. qui rexit annos xxiii . Maximis inde laboribus, amissis in itinere omnibus pene copijs, Papiam, mense Septembris peruenit. Hac inopinatâ Cæsarianorum clade, confederati erectiores facti nouo se fædere, & sacramento Kal. Decēbris deuinxere. Sed ea res non Ciuitates solùm in diuersa studia impulit, sed in singulis prope vrbibus nouas seditionum procellas excitauit, cum alij Ecclesiæ, alij Imperij partes pro cuiusq; opibus, & potentia tuendas suscepissent. Mortuo anno superiori Hermãno successit in Episcopatu Constantiensi Otho II. Cuius stirpis reperire nō potui. Præfuit annis octo.

A. D. M.
A. D. N.
C. D.
C. LXXVIII.
A. D. N.
C. D.
C. LXXIX.
A. D. N.
C. D.
C. LXXX.
A. D. N.
C. D.
C. LXXXI.
A. D. N.
C. D.
C. LXXXII.

Anno sexagesimo octauo Fridericus, ne confederatis, quibus resistere non poterat, ludibrio esset, desperatis prope Longobardiæ rebus, in Germaniam redijt. Anno sequenti, Pascali suffectus ab Cæsarianis Callistus. Anno septuagesimo Imperator conuentum Norimbergæ frequentem agitauit, ineunte Februario. Henricum F. Cæsarem designauit, & Aquisgrani coronandum curauit. Hoc anno, & sequenti terræ motus maximi extitere, quos secutæ aquarum horrendæ inuudationes, mense Septembris. Anno septuagesimo secundo exeunte, obiit Rudolfus II. abbas. Non minus præclarè res monasterij administrauit, etsi Rudolfum aduocatum semper aduersarium sustinuit. Fratres Vernerum vitæ, & moribus, atateque venerabilem præesse post eum iussere. Sed Rudolfus Comes tempus esse ratus, quod ante frustra ambierat, id verò nunc exsequendi, corruptis magna ex parte, & in suam sententiam perductis ministerialibus, fratrem germanum Varinum monachum S. Galli abbatem Heremi instituit: Vernerum, & eius sectatores multis oneratos contumelijs, & injurijs expulit, illorum cellas, & supellectilem diripuit, & vastauit, paucos, qui remanserant, minis, & terroribus, reliquorum præterea calamitate, & exemplo Varino inuitos, & oblucentes sacra-

mentum

mentum dicere coegit. Monasterium is occupatum tenuit paucis mensibus, sed ingenti cum noxa. Illud enim per luxum, & inanem ostentationem sædè laceravit, & corripit, mores antiquos aboleuit, præclarè instituta rescidit, postremò malè parta probrosius dissipauit, præter titulum nihil antistitis, aut monachi in se habuit. Fridericus Imperator rebus Germaniæ in perpetuum constituendis validè id temporis incumbabat. Ad eum nostri profugi cum sæpius itassent, denique Sanctione, mense Februariò, anni insequentis, agitantes multis precibus, & querellis adduxerunt, vt eorum desideria susciperet. Vocato igitur ad causæ dictionem Comite, & quæ euenerant intellectis, de principum, qui aderant, consilio (aderant autem Ludouicus episcopus Basiliensis, Otho palatini Burgundiæ filius, Matthæus Lotharingiæ, Berchtoldus Zeringiæ duces, Rudolphus Pfullendorffi, Vernerus, & Fridericus Hombergæ Comites, alij plures nobiles) utrumque & Vernerū, & Varinū abdicare iussit, Vernerumq; ex nostris alium Toggenburgensium Comitum familiæ, egregiâ virtute, & eruditione iuuenem abbatem pronunciauit, & ad monastetij administrationem, suo diplomate, & suffragio ornatum dimisit Kalend. Martij. Eo quoque pacto, quæcumque euenerant inter partes aboleuit, & perpetuo silentio sepeliuit. Haut multo post xxvii. Martij sequentis desideratus Frouuinus Monasterij Montis Angelorum abbas secundus, non sine magnâ sanctitatis apud omnes opinione. Successit beatus Berchtoldus ad quem Frouuinus librum in orationē dominicam a se compositum paullo ante miserat. Exstat in nostra etiam Bibliotheca, & cum cura adseruatur. Præfuit Berchtoldus annos prope nouendecim. De eo profecto memorant Monasterij scripta documenta, vixisse cum relligiosissime, sanctum sancti prædecessoris vestigia sequentem, sacrosanctum missæ sacrificium quotidie fecisse, etiam ipso quo denique obiit die. Reperio etiam cum Friderici I. Imper. in Cilicia mortem multo ante prædixisse, quam eius in Germaniam fama peruenire potuerit. Neque id omiserim:

Eadem

A. D. N.
C10. C.
LXXVIII.

Eâdem horâ, quâ corpore erat migraturus, à lectulum suum circumstantibus, sibi aquam in fonte non procul à monasterio haurire iussisse, quæ porrecta miraculose versa est in vinum. Hanc vero mutationem tertio factam esse. Unde fons ille ex quo aqua ea sumta in hodiernum diem Fons abbatis dicitur. Neque minor eius eruditio fuit. Argumentum est liber quem doctissimè simul, & fortissime scripsit contra abbatem. S. Ioannis in Turana valle grauissimum errorem defendentem, qui tamen eius admonitione, & rationibus postea resipuit. Superest liber in Bibliotheca monasterij. Hæc de Berchtoldo per occasionem Frovini nostratis. Neque enim Angelomontanorum gesta, aut abbatum successione tradere propositum est. nisi ubi eorum locus, & necessitas commonebunt.



VERNE